

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO


---

QUAESTIO  
DE ORDINATIONE SYSTEMATICA  
NOVI CODICIS IURIS CANONICI

ADUMBRATUM SCHEMA  
E.MIS PATRIBUS COMMISSIONIS PROPONITUR

*(Sub secreto)*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
MCMLXVIII



## DE ORDINATIONE SYSTEMATICA NOVI CODICIS IURIS CANONICI

### I – INTRODUCTIO

In sessione habita a Coetu Centrali Consultorum, diebus 3 ad 7 aprilis 1967, consideratae fuerunt tres quaestiones fundamentales relate ad organicam progressionem laboris nostrae Commissioni commendati, scilicet:

- 1) principia directiva pro recognitione vigentis Codicis Iuris Canonici;
- 2) schema Legis Fundamentalibus seu constitutionalis Ecclesiae;
- 3) possibilitas condendi schema provisorium ordinis systematici novi Codicis.

*Quoad primam quaestionem* elaboratus fuit textus documenti cui titulus « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant ». Hoc autem documentum, iussu Romani Pontificis (cfr. Litteras N. 940/67 Patribus Commissionis missas die 30 iunii 1967), submissum fuit studio Coetus Generalis Synodi Episcoporum. Patres Synodales haec « Principia » mense octobri 1967 probaverunt et iuxta ipsa procedit labor noster.

*Quoad secundam quaestionem*, examinatum fuit schema « Legis Fundamentalibus Ecclesiae », quod recognitum fuerat iuxta animadversiones a Consultoribus factas in eius « Primam adumbratam propositionem ». Hoc emendatum schema approbatum est quoad substantiam, at vero novae emendationes propositae fuerunt, quibus attentis schema « Legis Fundamentalibus » iterum recognoscendum est. Novum hoc schema praevideatur apparatus iri mense octobri vel novembri currentis anni 1968.

*Quoad tertiam quaestionem*, scilicet *de ordine systematico novi Codicis*, in eadem sessione mense aprili 1967 habita statutum est tempus nondum esse ad efficax studium peragendum istius problematis. Qua de causa sequens tantum principium

enuntiaturum fuit, in numero 10 « Principiorum » quae Synodo Episcoporum exhibita sunt:

« Deductio in praxim principiorum quae super enucleata sunt, structuram Codicis Iuris Canonici postulare videtur haud leviter novam. Inde sequitur eius ordinem esse innovandum. Fere ab initiis publicationis vigentis Codicis, eius ordo systematicus a praeclarioribus canonistis aestimatus est in aliquibus deficere, praesertim in dispositione librorum secundi et tertii. Nunc vero minus adhuc aptus apparet. Componendus igitur est sive ad mentem et spiritum Decretorum Sacri Concilii sive ad scientificas legislationis canonicae exigentias.

« Verum cum nimis arduum videatur ordinem systematicum veluti a priori statuere (ut colligi etiam potest ex diversis conatibus, ceteroquin vere laudabilibus, a variis auctoribus factis), sapientius esse ducitur ordinem redigere quando singularum partium cognitio, quae iam peragitur, sufficienter progressa sit. Aliunde haec docet historia cuiuslibet operis novae codificationis ».

Mense vero novembri elapsi anni 1967 opportuna iam visa est constitutio specialis Coetus Consultorum, qui in studium incumberent ordinis systematici novi Codicis Iuris Canonici. Talis Coetus constitutio communicata iam est cum Em. mis Commissionis Patribus (cfr. Litteras diei 9 decembris N. 1160/67).

Videbatur enim tempus iam advenisse ad hunc laborem incipiendum, imprimis quia aderat fundamentum, nempe « Principia » a Synodo approbata; deinceps vero propter experientiam iam acquisitam circa problemata e diversis Codicis partibus exurgentia perdurantibus duobus his annis laboris ex parte aliorum duodecim Coetuum Consultorum nostrae Commissionis.

Constituto itaque hoc speciali Coetu « De ordinatione systematica novi Codicis », eius membris sequens quaesitum propositum est:

« Utrum in hoc novo Codice perficiendo retinendus sit ordo « systematicus praesentis Codicis Iuris Canonici, debite renovatus, an novus ordo systematicus adoptandus sit et quibusdam « innixus principiis ».

## II — STATUS QUAESTIONIS

Uti notum est, ordo systematicus Codificationis Pio-Benedictinae originem suam ultimam trahit ex illa divisione generali secundum quam « omne ius quo utimur vel ad personas pertinet vel ad res vel ad actiones ». Triplex haec divisio ex Gaii libris Institutionum in Iustiniani Institutiones transit (cfr. Gai. 1, 8; Iust. 1, 2, 12). Institutiones Lancelotti imitantur Gaii ac Iustiniani Institutiones, at vero hic ordo ab ipso Lancelotti « methodus singularis » iuris pontificii exponendi vocatur: de personis, de rebus, de iudiciis, de delictis et poenis.

Hoc systema, planum quidem ac simplex, receptum est a multis auctoribus, qui totum ius canonicum « institutionaliter » i. e. per summa capita explanaverunt; maiora autem commentaria systema Decretalium compilationum sequi perrexerunt, licet aliquo modo ipsum temperarent. Qua de causa in libris institutionum Iuris Canonici, i. e. pro praelectionibus in scholis habendis, hoc systema quoad substantiam adhibitum est usque ad Codicem Pio-Benedictinum promulgatum. Quaestiones autem quae cum ordine hoc non componebantur — illae praesertim quae ius publicum spectabant — vel aliis in libris tractabantur vel ad modum introductionis proponebantur.

In Germania autem et in terris imperii Austro-Hungarici hoc systema communius reiectum est, utpote quod ius privatum tantum respiceret et Ecclesiae indoli parum responderet. Nullum tamen systema ab auctoribus propositum tam perfectum dici valebat, ut omnibus satis faceret et ab omnibus reciperetur. Qua de causa singuli auctores propria systemata plus minusve inter se diversa adstruere pergebant, ita ut haec periodus scientiae iuris canonici saeculo XIX proprie « multiplicatae diversitatis systematum » vocari posset.

Haec diversitas praecipue provenit ex diversis rationibus ordinis quae a singulis auctoribus proponuntur et adhibentur quaeque praecipuae hae sunt: distinctio inter ius publicum et privatum Ecclesiae, inter ius constitutivum et privatum, inter ius constitutivum et administrativum, inter partem generalem et spe-

cialem, inter subiecta et obiecta iuris, inter ius externum et internum Ecclesiae, inter ius triplici officio et potestati Ecclesiae respondens i. e. ministerio, magisterio, regimini, tandem inter varias functiones potestatis iurisdictionalis i. e. legislativae, iudicialis, administrativae seu executivae. Fere autem omnes auctores semper addebant in tractatione notiones vel partes de fontibus materialibus et formalibus, de iure publico externo, nempe de habitudine ad alias confessiones et religiones necnon ad Statum; quidam praeterea in propria tractatione adiungebant expositionem de influxu iuris et de habitudine Ecclesiae ad mundum. Mirum ergo non est quod artifices Codificationis Pianae systema simplex Lancelotti prae ceteris divisionibus propositis selegerint.

Verumtamen auctores non defuerunt qui, iam tempore Codificationis, triplicem defectum fundamentalem, praeter alios minoris ponderis, Codici Iuris Canonici tribuerent, scilicet quod:

1) iuxta systema iuris romani — quod aptatum fuit ad ius privatum exponendum —, nihil traderetur circa ius publicum externum, dum ius publicum internum seu constitutivum Ecclesiae latebat sub iure privato personarum;

2) sub rubrica « de rebus » multa ponerentur quae miro et alieno modo ' res ' essent iuxta sensum iuridicum communem, videlicet sacramenta et sacramentalia, tempora sacra, cultus divinus, magisterium ecclesiasticum, etc.;

3) satis prae oculis non haberetur ratio diversarum functionum potestatis ecclesiasticae.

Nunc ergo propositiones de novo Codice redigendo deque eius systemate perficiendo e duplici fonte provenire videntur:

1) e desiderio medendi defectibus hodierni Codicis atque supplendi eas normas quae a novis adiunctis vitae christianae postulatur;

2) e necessitate accommodandi, quoad rem et quoad formam (systema), totum Corpus Iuris Canonici doctrinae ecclesiologicalae a Concilio Vaticano II propositae.

### III — SYNTHESIS LABORUM

#### *Consultorum Vota*

Consultores quibus praedictum quaesitum de ordinatione systematica novi Codicis positum fuit propria vota in scriptis redegerunt, ex quibus sequentia praesertim apparebant:

A) Omnes concordabant — saltem quoad conclusiones practicas — circa necessitatem derelinquendi veterem ordinem novamque adhibendi systematicam ordinationem in futuro Codice.

B) Omnes pariter asserebant ius constitutivum Ecclesiae provinciam iuris per se stantem constituere et ideo tractandum esse in Codice. Ex hoc ergo duplex quaestio praeiudicialis orta est:

1° an de iure constitutivo Ecclesiae agendum sit in aliqua Lege fundamentali a Codice disciplinari distincta;

2° utrum hoc in casu Codex disciplinaris communis esse debeat, quoad aliquam saltem partem, Ecclesiae latinae et Ecclesiis Orientalibus, an vigere tantum debeat pro Ecclesia latina.

C) Dissensiones autem et difficultates habebantur inter diversas sententias Consultorum quoad novum systema internum Codicis seu quoad modum iuxta quem singulae partes componendae ac disponendae sint, etiamsi novus Codex Iuris Canonici ut mere disciplinaris intelligeretur. Non pauci Consultores expressis verbis affirmarunt nullum systema absolutum, immo neque relativum, ita hodie adstrui posse ut ab omnibus sine difficultate admittatur, cum obiective nulla regula ordinis inveniri valeat, quae multiplicibus ac diversis nexibus, votis rationibusque satis faciat.

D) Illa igitur ordinatio quaerenda videbatur, quae aptius conveniret doctrinae ecclesiologicae Concilii Vaticani II, cohaerentiae organicae, hodiernis Ecclesiae adiunctis socialibus atque apostolicis et practicae utilitati iuridicae. Hunc in finem Consultores proposuerunt diversas ordinationes, in quibus quaedam notae communes inveniebantur, sed etiam discordantiae notari poterant.

*Sessio studii*

Ad prosequendum studium problematis collatisque consiliis in examen diversarum quaestionum incumbendum, habita est sessio studiorum huius Coetus specialis « De ordinatione systematica novi Codicis ». Sessio haec complectitur quatuor conventus, habitos diebus 2-4 aprilis currentis anni. Conventibus praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Pontificiae Commissionis Praeses (qui tamen a suffragando se abstinuit) iisque interfuerunt: Rev.mus P. Bidagor, Commissionis Secretarius; Rev.mus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus; Exc.mus Lourdu-samy, Archiepiscopus Bangalorensis; Exc.mus Flusin, Episcopus Sancti Claudii; Rev.mus Stickler, Professor in Pontificio Athenaeo Salesiano, qui munere Relatoris Coetus functus est; Rev.mus Mörsdorf, Praeses Instituti Canonistici apud Universitatem Monacensem; Rev.mus Dordett, Professor in Universitate Vindobonensi; Ill.mus Kuttner, Professor in Universitate « Yale »; Ill.mus Lombardìa, Professor in Universitate Navarrensi et Ill.mus Giacchi, Professor in Universitate Catholica a Sacratissimo Corde Iesu. Impedimento detenti conventibus non adfuerunt Exc.mus Wright, Episcopus Pittsburgensis Latinorum; Rev.mus Munier, Professor in Universitate Argentoratensi ac Rev.mus McManus, Professor in Universitate Catholica Washingtonensi, qui duo tamen sua vota in scriptis tempore opportuno miserunt. Coetus secretarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis.

Ineunte sessione omnes Consultores iterum manifestarunt suam sententiam quoad necessitatem inveniendi novam Codicis ordinationem. Propositae postea sunt duae quaestiones praeiudiciales de quibus in votis agebatur (cfr. supra Litt. B, pag. 9), quae solutae fuerunt, et quidem sequenti ratione:

1) Iuxta votum maioritatis Patrum Commissionis in sessione habita die 25 novembris 1965, Codex vel Lex Fundamentalìs Ecclesiae, ius constitutionale universae Ecclesiae Catholicae continens, videtur esse conficiendum. Varias enim rationes hanc convenientiam affirmant, videlicet unitas fundamentalis Eccle-



siae in diversitate Rituum servanda, motus oecumenicus, ipsa perfectio systematis legislationis ecclesiasticae, etc. Quamvis hoc opus haud facile sit, Commissio in ipsum iam sollicite incumbit (cfr. pag. 5), et speratur fore ut, ante expletum hunc annum 1968, definitive redactum a Consultoribus inveniatur schema Legis Fundamentalibus seu Constitutionalis, quod statim submittetur studio Em.morum Commissionis Patrum. Dicitur « ius constitutionale », haud vero « ius constitutivum », ob rationes claritatis terminologicae, quia in praefato schemate continentur solummodo illa principia generalia quae — sive ex iure divino sive ex antiquissimo et probato iure ecclesiastico — considerantur ut pertinentia ad structuram constitutionalem Ecclesiae. Animadvertunt pariter Consultores Codicem vel Legem Fundamentalem non posse restringi ad ius divinum, cuius limites non semper facile definiiri possunt; neque obesse canonum schematibus parandis quod Codex Fundamentalibus nondum sit definite paratus, nam uti animadvertit Em.mus Card. Praeses Commissionis in Coetu Generali Synodi Episcoporum: « Cum Lex Fundamentalibus sit veluti synthesis summorum principiorum, clare exponi ea nequit, nisi prius singula instituta bene perspecta habeantur. Ergo unus et alter labor simul peragetur: alter alterum iuvabit ».

2) Praeter hunc laborem, opus nostrae Commissionis — uti explanatum est Synodo Episcoporum, cum de « Principiis directivis » agebatur — consistit in apparando Codice Ecclesiae latinae. Labori operam damus iuxta praedicta principia generalia a Synodo approbata. Quamvis nostrum non sit statuere neque iudicare utrum legislatio a nostra Commissione apparanda et ordinanda aliis Ritibus applicari possit: in ea tamen enuntianda principia normasque incumbimus, quae dein aliis quoque Ritibus inservire possint.

His ergo quaestionibus praeiudicialibus solutis, disceptatur circa ordinem internum Codicis disciplinaris Ecclesiae latinae.

Quaestiones de quibus actum est in duas species dividi possunt: A) Illae circa quas Consultores statim concordaverunt; B) Illae pro quarum solutione necesse fuit ut specialia quaesita suffragationi proponerentur.

A) *Quaestiones de quibus immediate fuit inter omnes concordia:*

1° Leges liturgicae, ut tales, extra Codicem disciplinarem maneant, ad mentem can. 2 vigentis Codicis.

2° Pleraque normae circa processus beatificationis et canonizationis remitti debent ad leges alterius ordinis, quae pro iis specialibus processibus condantur.

3° Normae generales respicientes relationes Ecclesiae ad extra seu cum humana consortione — nempe quoad libertatem Ecclesiae, etc. — in Lege Fundamentali proprium locum habeant (nihil hic dicitur de quaestione terminologica, utrum scilicet hae normae vocari debeant « ius publicum externum » an « ius ecclesiasticum externum » vel « ius internationale », etc.).

4° In parte ubi de Populo Dei agatur, ponendum est statutum personale omnium christifidelium atque iura et officia quae diversis fidelium speciebus competunt iuxta earum respectivas missiones ecclesiales; haec tamen statuta, iura personalia tantum continentia, apte distinguantur oportet a facultatibus necessariis ad rite exercenda diversa munera vel officia ecclesiastica.

5° Praesens structura libri III Codicis, qui sub rubrica « de rebus » materias inter se valde diversas complectitur, servari non posse videtur.

B) *Quaestiones de quibus quaesita pro suffragatione proposita fuerunt.*<sup>1</sup>

1<sup>a</sup> Quaestio: « *An placeat ut in Codice recognoscendo componentur variae partes inter se distinctae, quamvis connexae, in quibus nempe diversae materiae tractentur* ». <sup>2</sup>

Exitus suffragationis fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 9

Non placet: 1 (Mörsdorf).

2<sup>a</sup> Quaestio: « *An placeat ut in parte distincta conficiatur legislatio de tribus muneribus in Ecclesia, videlicet: 1<sup>o</sup> pars: de Magisterio ecclesiastico seu de munere docendi; 2<sup>a</sup> pars: de Sacramentis et Sacramentalibus et de cultu divino (ubi agetur etiam de locis et temporibus sacris), seu de munere sanctificandi; 3<sup>a</sup> pars: de regimine Ecclesiae seu de munere regendi, id est de variis organis regiminis et de exercitio potestatis regiminis, tum in Ecclesia universali tum in Ecclesiis particularibus* ».

---

<sup>1</sup> Ordo iuxta quem proponuntur quaestiones est mere practicus, respondet scilicet ordini secundum quem de diversis materiis successive sermo fuit in disceptationibus.

In quaesitis adhibetur expressio « in parte distincta » loco verbi « libri » vel alius similis, ne praeiudicialiter solvi videatur quaestio de nomine sub quo, tempore futuro, coetus homogenei normarum inter se distinguendi sint.

<sup>2</sup> Hoc quaesitum ideo propositum est, quod in votis Consultorum et in disceptatione tria diversa criteria fundamentalia apparuerunt: *a*) systema legislativum ecclesiasticum dividatur in plures codices separatos uti fieri solet in ordinationibus statalibus; *b*) licet Codex unitatem habeat, diversae eius partes (sive libri) sint inter se independentes, ne claritas in ordinatione normarum obscuretur propter considerationem quamdam theoreticam artificialem; *c*) contra id quod proponebatur in prioribus duabus sententiis, alii propugnabant ut intima et perfecta connexio vigeret inter diversas Codicis partes, ita ut mutua normarum dependentia daretur.

Exitus suffragationis fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 8

Non placet: 2 (Mörsdorf, Lombardia).

3<sup>a</sup> Quaestio: « *An placeat ut in parte distincta legislatio habeatur de bonis Ecclesiae temporalibus seu de iure patrimoniali Ecclesiae* ».

Exitus suffragationis fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 10

Non placet: —

4<sup>a</sup> Quaestio: « *An placeat ut in parte distincta habeatur legislatio de iure poenali* ».

Exitus suffragationis fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 10

Non placet: —

5<sup>a</sup> Quaestio: « *Utrum in eadem parte, per diversas sectiones, legislatio contineri debeat de procedura iudiciali, contentiosa et criminali, et de procedura in recursu administrativo servanda.*

*An normae de procedura administrativa tradi debeant ubi agitur de actibus administrativis aut de actibus potestatis executivae* ».<sup>3</sup>

---

<sup>3</sup> Quaesitum hoc propositum est modo disiunctivo ita ut si prima eius pars approbaretur (videlicet ut omnes normae de tutela iurium simul compilarentur), ipso facto caderet secunda pars eiusdem quaesiti. Notatum autem fuit quod ex decisione capta (regulandi etiam hoc modo processus impugnationis actuum administrativorum, tum si via iudiciali tum si via administrativa gerantur) minime sequi ut in Codicis parte ubi agatur de actibus administrativis contineri non debeant normae circa modum procedendi quoad ipsos actus administrativos *ponendos*.

Exitus suffragationis primae partis quaesiti fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 7

Non placet: 3 (Onclin, Mörsdorf, Dordett).

Cadit ergo secunda pars quaesiti.

6<sup>a</sup> Quaestio: « *An placeat ut conficiatur pars distincta in qua habeatur legislatio de fontibus iuris (leges et consuetudines) et de actibus administrativis qui influunt in conditionem iuridicam personarum* ».

Exitus suffragationis fuit:

Praesentes votantes: 10

Placet: 9

Non placet: 1 (Dordett).

7<sup>a</sup> Quaestio: « *Utrum placeat ut pars distincta habeatur de Populo Dei in qua duplex contineatur sectio:*

1<sup>a</sup> sectio: *Complectens legislationem de personis in genere et in specie, videlicet: 1° de personis physicis et de personis iuridicis seu moralibus, ubi habeatur legislatio de obligationibus et iuribus omnium christifidelium (etiam de eorum iure associationis); 2° de variis statibus personarum, seu de clericis, de laicis, de iis qui sunt in statu perfectionis.*

2<sup>a</sup> sectio: *Complectens legislationem de Hierarchia in Ecclesia constituta.*

*An potius placeat ut pars distincta habeatur de exercitio iuris associationis (seu de consociationibus in Ecclesia), in qua contineretur legislatio tum de consociationibus eorum qui sunt in statu perfectionis tum de aliis consociationibus christifidelium* ».

Suffragationi supponitur prima pars quaesiti, praescindendo tum a quaestione praeiudiciali de necessitate divisionis in duas sectiones, tum a quaestione num in eadem parte Codicis ponenda sit non tantum simplex enuntiatio iuris associationis prout ipsum est ius subiectivum cunctis christifidelibus competens, sed etiam legislatio de consociationibus qua talibus personis iuridicis seu moralibus:

Exitus suffragationis est:

Praesentes votantes: 10

Placet: 9

Non placet: 1 (Mörsdorf).

Suffragatio fit de secunda parte quaesiti, dempto quidem verbo « potius »:

Exitus suffragationis est:

Praesentes votantes: 8

Placet: 2 (Mörsdorf, Kuttner)

Non placet: 6.

Plerique ergo Consultores desiderant ut consociationes considerentur in parte ubi agatur de Populo Dei, seu de personis physicis et moralibus in Ecclesia. Circa formam vero concretam iuxta quam legislatio de his diversis associationibus ordinanda sit ponitur novum quaesitum:

« *Utrum placeat distinctis partibus agere de religiosis (seu de consociationibus eorum qui sunt in statu perfectionis) et de associationibus aliorum christifidelium (seu de iure associativo)* ». <sup>4</sup>

Exitus suffragationis est:

Praesentes votantes: 8

Placet: 5

Non placet: 3 (Mörsdorf, Dordett, Kuttner).

8<sup>a</sup> Quaestio: « *Utrum placeat ut ius matrimoniale habeatur in parte de Sacramentis.*

*An inseri debeat in partem de personis* ». <sup>5</sup>

---

<sup>4</sup> Quaestio ponitur quia primo casu condicio iuridica personarum mutatur (assumunt scilicet statum personalem proprium ac diversum a statu communi ceterorum fidelium clericorum vel laicorum), quod non evenit in secundo casu.

<sup>5</sup> Quaestio 8 et 9 ideo proposita est, quia optatum ab aliquibus fuerat ut distinctio legislationum fieret, iuxta sacramenta, quibus christifidelium vita in Ecclesia incipit, crescit, reficitur: itaque ordo iuridicus cum dogmatico maxime cohaereret.

Fit suffragatio circa primam partem quaesiti, et exitus sequens est:

Praesentes votantes: 8  
Placet: 7  
Non placet: 1 (Kuttner).

Ergo necesse non est ut suffragatio fiat circa secundam partem quaesiti.

9<sup>a</sup> Quaestio: « *Utrum de baptismo agendum sit ubi de christifidelium obligationibus et iuribus, atque de Ordine ubi de clericis tractatur.*

*An sufficiat ut in iisdem titulis affirmetur connexio cum his Sacramentis, et ad legislationem de Sacramentis remittatur ».*

Suffragium exquiritur circa primam partem quaesiti, et exitus est:

Praesentes votantes: 8  
Placet: 1 (Kuttner)  
Non placet: 7.

Suffragium quoque habetur circa secundam quaesiti partem, hoc modo:

Praesentes votantes: 8  
Placet: 8  
Non placet: —

*Schema adumbratum proponitur*

Ex his omnibus deliberatis, atque praesupposita quidem Legge Fundamentali ius constitutionale Ecclesiae continente, sequens schema de nova ordinatione systematica Codicis Iuris Canonici provisorie proponitur:

CODEX IURIS CANONICI

I. *Legislatio de fontibus iuris (leges et consuetudines) atque de actibus administrativis qui influunt in conditionem iuridicam personarum (dispensationes, privilegia, etc.).*

II. *Legislatio de Populo Dei, in genere et in specie:*

1° *De personis physicis in genere (ubi habeatur legislatio de obligationibus et iuribus omnium christifidelium). De personis iuridicis seu moralibus (ubi contineatur etiam legislatio de associationibus fidelium).*

2° *De personis physicis in specie seu de variis statibus fidelium: de clericis, seu de iis qui in Sacram Hierarchiam cooptantur<sup>6</sup>; de laicis; de iis qui sunt in statu perfectionis (ubi habeantur normae de eorum associationibus).*

3° *Normae de Hierarchia in Ecclesia constituta.*

III. *Legislatio de tribus muneribus Ecclesiae:*

1<sup>a</sup> *Sectio. Normae de Magisterio Ecclesiastico, seu de munere docendi.*

2<sup>a</sup> *Sectio. Normae de Sacramentis, de Sacramentalibus et de cultu divino (inclusis locis et temporibus sacris), seu de munere sanctificandi.*

3<sup>a</sup> *Sectio. Normae de regimine Ecclesiae seu de munere regendi: de variis organis regiminis et de exercitio potestatis regiminis, tum in Ecclesia universali, tum in Ecclesiis particularibus.*

IV. *Legislatio de bonis Ecclesiae temporalibus seu de iure patrimoniali Ecclesiae.*

---

<sup>6</sup> Hic veniunt personalia iura et obligationes clericorum, idest peculiare statutum iuridicum quod in Ecclesia habent illi fideles qui, Christi Capitis pro suo quisque gradu auctoritatem exercentes (cfr. Const. Dogm. « Lumen gentium », caput III; Decr. « Presbyterorum Ordinis » nn. 2 et 6), Populum Dei pascunt.

Haec quidem legislatio distinguitur (cfr. pag. 12, n. 4) a legislatione de qua sub sequenti n. 3, quae normas amplecti debet tum de potestate ecclesiastica tum de officiis ecclesiasticis in genere.



V. Legislatio de iure poenali.

VI. Legislatio de tutela iurium in Ecclesia:

1<sup>a</sup> Sectio. Normae de procedura iudiciali, contentiosa et criminali.

2<sup>a</sup> Sectio. Normae de procedura in recursu administrativo servanda.

IV – SENTENTIAE EXQUIRUNTUR EMINENTISSIMORUM  
PATRUM COMMISSIONIS

His ergo attentis, sequentia Em.mis Patribus Commissionis proponuntur

QUAESITA

- 1.um: *Utrum placeat ut Codici Iuris Canonici praeponatur Lex Fundamentalis, altiora principia atque maiora praescripta continens, cum ex iure divino tum ex iure ecclesiastico deprompta, quibus ius constitutionale Ecclesiae definiatur.*
- 2.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. I schematis.*
- 3.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. II schematis.*
- 4.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. III schematis.*
- 5.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. IV schematis.*
- 6.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. V schematis.*
- 7.um: *Utrum placeat ut parte distincta agatur circa legislationem de qua sub n. VI schematis.*
- 8.um: *Utrum adumbrata ordinatio systematica Codicis Iuris Canonici recipienda sit quoad substantiam.*

Romae, die 18 aprilis 1968.

## INDEX

|                                                                   | PAG. |
|-------------------------------------------------------------------|------|
| I. Introductio . . . . .                                          | 5    |
| II. Status quaestionis . . . . .                                  | 7    |
| III. Synthesis laborum . . . . .                                  | 9    |
| Consultorum vota . . . . .                                        | 9    |
| Sessio studii . . . . .                                           | 10   |
| Schema adumbratum proponitur . . . . .                            | 17   |
| IV. Sententiae exquiruntur Eminentissimorum Patrum Commissionis . | 19   |